



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

De Oratione, seu Precibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Suprà notavimus, has *Novem* Regulas meliùs collocandas fuisse initio Capitìs; fortè Autor ratus omnia, quæ præcedunt ad materiam Fidei pertinere; putavit, hic loquendum esse de viribus & accidentibus Fidei.

Quinque Regule sequentes, de *Lectiõne Librorum Sacrorum* inscriptæ, pertinent ad accidentia Fidei; numeri series id significat: connexionem quoque habent cum Prædicationibus, quæ præsertim ex Libris Sacris hauriendæ sunt, perindè ac Doctrina Fidei: indicant solùm Textus, qui rationes hujus lectionis afferunt, aut qui legendos à non legendis Libris secernunt, aut tempus, quo illi in Officio legendi sint, præstitunt: docent Vetus Testamentum juxtà Hæbraicam Linguam esse interpretandum, & Novum juxtà Græcam, & si in illis Libris nonnulla parùm intelligibilia occurrant, faciendum esse, quod legitur *Dist. IX. Can. Ego solus*, & *Can. Si ad Scriptur.* nempe mentem captivare ad obsequium Fidei sine metu erroris.

DE CONCIONIBUS.

Regulæ XII. hujus *Quæstionis* reducuntur ad Personas, quæ jus habent concionandi; ad qualitates, quibus instructæ esse debent; ad Prælatum, qui jus illas mittendi habet; ad jura & officia Auditorum; ad modum, quo uti debent Prædicatores in suis Monitionibus. *Quatuor* priores *Regulæ* primum Caput respiciunt, & includuntur in *Prima*, quæ Prædicationem interdicit eis, qui non habent Ordinem ad eam requisitum; indè enim sequitur, *Feminas, Laicos, Religiosos*, qui non sunt Clerici, ab illo munere excludi; *Exceptio I. & II.* includuntur in *Regulâ* suæ integritati restitutâ. *Except. III.* sumpta ex Inspiratione interiori, illationi subjacet. *Except. IV.* ad rem non facit; nam Controversiæ circâ ingressum in Religionem, non sunt Prædicationes.

Reg. VI. quinto loco poni debuisset; loquitur de qualitatibus Prædicatorum, ad quas pertinet Ordinatio, in *Quatuor* prioribus memorata.

Textus *Reg. V.* loquentis de nominatione Prædicatorum, respicit institutionem Curatorum, ad præsentationem Monachorum, Curatorum Primitivorum; proindè remotam habet affinitatem cum argumento.

Regulæ VII. VIII. IX. X. respiciunt jura & officia Auditorum. *Septima* dicit, ad Prædicationem admitteos esse omnes, qui audire cupiunt. *Tres* reliquæ docent, magnam attentionem esse afferendam; Evangelium erecto Corpore esse audiendum; exeundum non esse à Concione, priusquam finita sit. Ultima hæc *Regula* videtur abrogata, exceptis casibus, in quibus exiri nequit sine turba vel scandalo.

Officia, quæ Prædicatores Auditoribus inculcare debent, sunt in *Reg. XI. & XII.* nempe solvendi decimas, & sibi mutuam opem ferendi.

DE ORATIONE, seu PRECIBUS.

Reg. VII. jungenda erat *Primæ*: ambæ loquuntur de Oratione Dominicâ: hæc eam recitari jubet post Officium Nocturnum, & Vesperas. *Septima*, eam peccata leviora delere dicit, si emendatio concurrat.

Reg. X. connectenda erat *Secundæ*: utraque Missam respicit: hæc de Præfatione ipsius; illâ de Secretâ loquitur. *Reg. VIII.* *Quarta* subjicienda erat, quippe, quæ ad modum orandi pertineat, perindè ac *Tertia*, quæ dicit corde & ore orandum esse: *Quarta* autem flexis genibus orandum esse dicit, exceptis Diebus Dominicis & Quinquagesimâ Paschali; fert enim Conjugatos ex mutuo consensu abstinere debere, ut vacent Orationi publicæ, quæ Diebus Festis fit, undè natus est antiquus usus Continentiæ in illis diebus.

Reg. V. VI. respiciunt eos, pro quibus orandum est, aut non orandum.

Reg. IX. indicat eos, cum quibus orare non licet, nempe Excommunicatos, & Clericos depositos. Ho-

die cum Excommunicato, nisi denunciatus sit, orare possumus, & Clericus depositus à Precibus publicis non excluditur. *Regulam IX.* exposuimus antè *V. & VI.* ideò quòd breviter id fieri poterat, aliæ longiorum enucleationem requirunt: Ferunt, orandum esse 1. pro Sæculari Potestate: proindè, pro Principe & Magistratibus. 2. Pro Defunctis; circâ quod afferuntur sex Exceptiones, quæ ad unicam reducuntur; nempe, Peccatores publici, qui sine ullo penitentia signo defuncti sunt. Personæ nominatim exceptæ, sunt, 1. Rei supplicio addicti; usus autem pro illis orandi viget. 2. *II.*, qui cæsi sunt in flagranti delicto. 3. *II.*, qui se ipsos occiderunt, 4. Clerici, qui cæsi sunt, vel in Bello vel in jurgio, aut in Ludis Paganorum. 5. Excommunicati sine Absolutione mortui. 6. Infideles, si neque baptisati, neque mortui sint pro nomine Christi: addendum est, neque baptisati optaverint. Quoad hoc ultimum personarum genus, cum non sint ex Ecclesiæ Corpore, in quod per Fidem aut Baptisum intratur, constat, Ecclesiam pro eis orare non debere post eorum mortem; quoad cæteros; si penitentia signa antè mortem ediderint, Ecclesia patitur, pro eis etiam publicas fieri Preces; privata enim nequidem prohibentur, quoad eos, qui sensibiles penitentia notas non emisserunt, quoniam fortè eos interius penituit.

OBSERVATIONES in CAP. II. de OFFICIIS & MYSTERIIS Sacris.

Dividitur in VII. Quæstiones. *Sex* priores Officia Divina respiciunt, per quæ intelliguntur Horæ Canonicales. *Septima*, ad Missam pertinet. Illæ loquuntur de Personis, ad quas Officiorum Divinorum celebratio pertinet; de iis, quæ ad eam admitti debent; de loco, de tempore, de modo, quibus illa fieri debeat, & de eorum Consecrariis. Supponitur, Ordines ad Officiorum Divinorum celebrationem esse necessarios *Reg. I.* ideòque ab hac arcentur *II.*, qui à Promotione ad Ordines, & consequenter ab Ordinum exercitio, excluduntur; quæ enim uni obstant, alterum impediunt; nempe, Suspensio, Deposito, Concubinatus publicus, Lepra, Irregularitas ob crimen, vel ob defectum, Simonia, Hæresis: *Reg. II. III. IV. V. IX.* inter Suspensos, quidam sibi tantum, non aliis suspensi sunt. De illis loquitur *Reg.* quæ ad Officiorum celebrationem admittit Clericos, quorum mores pravi sunt. Inter Personas legitime impeditas, quædam ad tempus duntaxat: tales sunt, *Reg. VI. & VII.* quæ de Corporis impuritate transitoria loquuntur. Quod dicitur *Reg. XIII.* de Monachis respectivè ad celebrationem Officiorum, est repetitio eorum, quæ dicta sunt, quoad Conciones. Exceptiones ostendunt, agi solùm de celebratione publicâ; nam agnoscunt, Monachos Ordinibus carentes, Officia inter se celebrare posse. Quod ibi dicitur & in *Reg. I.* de necessitate Ordinum, ad celebrationem Officiorum, respicit solùm munera aliquem Ordinem requirentia: hodie sufficit, ut celebrationi Præsides sit Sacerdos.

Reg. XV. quæ fert, eos, qui Mysteria inchoaverunt, teneri ad ea perficienda, Missam respicit: itaque, rejicienda erat ad Quæstionem VII.

Reg. unica Quæst. II. quæ ab assistentiâ ad Officia solos Excommunicatos & Interdictos removeret, ostendit discrimina inter assistentiam, & celebrationem, cum plures alios *Reg. I.* Quæstiones à celebratione excludant.

In *Reg. I.* Quæst. III. Hospitalia inter Oratoria publica numerantur; nam, ab aliis propter Consuetudinem, excipiuntur. *CLEMENTINA de Religiosis Domibus*, hic laudata, non loquitur de Consuetudine Officia in eis celebrandi, sed de eâ, quæ illorum curam, seu administrationem, Ministris Sacris attribuit.

Reg. II. & III. quæ dicunt, Officia Divina non esse celebranda in Locis pollutis aut interdictis, extenditur ad Oratoria privata, quæ benedicta sunt, perindè atque ad Oratoria publica, aut Ecclesias.

Reg.